



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XI. Honorius III. Salisbariensi (a) & Bregadensi Præpositis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

netur votum adimplere ingrediendo religionem, quia acceptatio Episcopatus non est votum, neque ex voto ipsius electi fieri debet, juxta textum in cap. in scripturis 8. q. 1. l. si in quemquam 39. C. de Episcop. & cler. & ita ex parte acceptantis non adest votum de meliori, aut perfectiori statu; quare qui votum religionis emitit, non libera-

tur ab ejus obligatione, etsi in Episcopum eligatur; teneturque religionem ingredi, & si postea eligatur in Episcopum, aut rata habetur prior electio, potest confirmari, & consecrari in Episcopum; quia non est incompatibilis religiosus status cum Episcopali dignitate, ut probat Soza in tract. de Episcop. religiof.

CAPUT XI.

Honorius III. Salisbariensis (a) & Bregadensis Præpositus.

Postulastis per nostras literas edoceri, an vobis professis ordinem regularem, quorum alter cruce signatus est, reliquus crucis caractere desiderat (b) insigniri, liceat vicissimam proventuum Ecclesiarum vestrarum, deputatam succursui Terræ sanctæ deferre vobiscum, ut per vos proficiat illius terræ succursui, qui parati estis personas vestras exponere servitio Jesu Christi; præsertim cum multi exemplo æmulationis laudabilis provocati, ad currendum post vos viriliter accingantur, præliaturi prælium Domini contra gentes. Quia verò liberationi Terræ illius totis viribus aspiramus, disc. v. p. A. l. m. quat. si Ecclesiæ vestræ aliàs per absentiam vestram enormiter non lædantur, & vos utiles fueritis terræ Domini verbo pariter, & exemplo, quod conscientiæ vestræ duximus relinquendum, dimissis procuratoribus idoneis in Ecclesiis vestris, potestis, & tenemini votum peregrinationis adimplere, ac sic potest in usus vestros transire vicissimam Ecclesiarum vestrarum deputata subsidii Terræ sanctæ.

NOTÆ.

1. (a) *Salisbariensis.*] Ita restituo epigraphen & litteram hujus textus ex quinta compilatione Honorii III. ubi in cap. 1. de statu monach. reperitur præfens textus: adeo tamen corrupta est secunda pars hujus inscriptionis, ut cognosci non possit de quo Præposito in eo agatur. Cironius in ejus notis existimat, legendum esse Readingensi, quia urbs Reading. dicta est in Comitatu Barcheriæ, in diocesi Salisbariensis Angliæ, de qua diocesi nonnulla notavi in cap. 28. de appellat.
- (b) *Insigniri.*] Juxta formam illustratam in cap. quod super, hoc tit.
2. (c) *Vicissimam.*] Juxta dispositionem Concilii Lateran. sub Innocentio III. celebrati, ubi de hujusmodi fructuum parte pro expeditione Terra

sanctæ assignanda ita cavetur: *Cupientes autem alios Ecclesiarum Prælatos, nec non clericos universos, & in merito, & in præmio habere participes, & consortes, ex communi Concilii approbatione statuimus, ut omnes omnino clerici, tam subditi, quam Prælati, vicissimam partem ecclesiasticorum proventuum, usque ad triennium conferant in subsidium Terræ sanctæ, per manus eorum, qui ad hoc Apostolicè fuerint providentiâ ordinati, quibusdam dumtaxat religiosis exceptis, ab hac prætaxatione merito eximendis: illis similiter qui assumpto, vel assumendo crucis signaculo sunt personaliter profecturi. Nos autem, & fratres nostri S. Romane Ecclesie Cardinales plenariè decimam persolvemus: sciantque se omnes ad hoc fideliter observandum per excommunicationis sententiam obligatos, ita quod illi, qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurrant.*

TITULUS XXXV.

De statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

CAPUT I.

Gregorius Fortunato Episcopo (a) Neapolitano.



HEODOSIUS Abbas monasterii sancti Martini, petitoriâ nobis insinuatione suggestit, quæ habetur in subditis, in domo quondam Martini ex ejus voluntate decessorem suum Andream Abbatem monasterium, in quo monachi habitare debeant, construxisse: & quia id in honorem B. Petri Apostolorum Principis,